

Die Consuetudines Schyrenses.

Mitgeteilt von P. Stephan Kainz, O. S. B. in Scheyern.

(Fortsetzung zu Heft I, 1905, S. 85—94.)

Ordo agendi officium defunctorum per circulum anni.

Notandum, quod officium defunctorum non dicimus in choro a vigilia nativitatis domini usque ad octavam Epiphaniae, et a quarta feria ebdomadae poenosae usque ad octavam penthecostes, similiter infra octavas, nisi forte funus praesens fuerit, et aliis temporibus idem officium non dicimus, nisi sequenti die fuerit feria aut festum trium lectionum. Quando vero officium mortuorum extra quadragesimam dicitur, tunc post nonas diei dicuntur vesperae mortuorum, post vespervas autem tres lectiones cum tribus psalmis et laudibus. Si vero IX lectiones habentur cum cantu, tunc vesperae diei dicuntur psallendo indirectum, nisi festum eodem die fuerit duplex maius. Feria secunda post Invocavit et per totam quadragesimam vesperae mortuorum dicuntur post nonas diei ante coenam, et nocturnus aliquis cum laudibus dicuntur post coenam hora secunda ad signum parvae campanae, quo finito officium absolute inchoatur. Notandum, ut supra aequaliter patuit, quod ad officium mortuorum semper sedemus, ad vespervas usque ad magnificat et *V.* praecedentem, scilicet audivi vocem; ad nocturnos vero sedemus usque ad Pater noster ante lectiones, ad quod inclinamus et ad lectiones sedemus et consequenter per laudes usque ad antiphonam Omnis spiritus et psalmum Laudate dominum de coelis. Notandum etiam, quod si est feria, tunc ad Pater noster et ad orationes in officio defunctorum flectimus excepto Pater noster ante lectiones; si autem non est feria, tunc ad Pater noster et orationes inclinamus. Nocturni dividuntur per ferias sic, ut primus nocturnus habetur in dominica et quarta feria, secundus nocturnus feria secunda et quinta, tertius vero nocturnus dicitur tertia et sexta feria. Item Ps. Lauda anima mea Dominum in vesperis mortuorum semper dicimus, quando genua flectimus; alias vero numquam. Ps. autem de profundis in laudibus post Benedictus semper dicitur, nisi officium cantetur; tunc enim de consuetudine non habetur. De orationibus nota, quod in officio novem lectionum habetur semper tantum una oratio, quae competit et eadem sola etiam dicitur in missa correspondente. In officio autem trium lectionum dicuntur tres orationes, prima de anniversario aut de aliquo alio, de quo specialiter agitur. Quod si non est anniversarium nec exequiae speciales, tunc prima oratio dicitur pro fundatoribus, illa videlicet: Propitiare quaesumus domine animabus fidelium tuorum etc., quae in fine concluditur Per Chr. D. n., secunda oratio: Deus veniae largitor, tertia oratio: Fidelium deus. De

luminaribus et pulsu vide supra locis suis. In die animarum et in praesentia funeris atque in anniversariis funda] f. 37 v. [torum habemus Invitatorium ad vigiliis, alias vero numquam. Idem observamus quoad prosam sive sequentiam Dies irae in officio missae pro defunctis in iam dictis diebus. In commemoratione omnium fidelium defunctorum Placebo cum vigiliis agimus in die omnium sanctorum, et habetur Placebo more solito post nonas; ad vigiliis vero fit pulsus circa horam primam post meridiem. In quo officio Invitatorium, Responsoria et lectiones cum laudibus totaliter cantamus, sed reliqua plane dicimus. Et hoc idem in anniversariis fundatorum nostrorum et in praesentia funeris nostrae congregationis observamus. Quotiescumque autem in officio IX lectionum responsoria cum lectionibus cantamus, tunc vesperae diei eiusdem psalluntur in directum, ac vero quando iam dicta in directum legimus, tunc vesperae diei more solito cantantur. Verum tamen in festis maioribus vesperas semper cantamus. Et quando officium cantatur, versiculi in laudibus et versus et similiter Requiescant in pace in fine a duobus cantantur, et duplicatur antiphona ad Benedictus etc.

Quid pro fratribus nostris Conventualibus agendum
sit in communi.

Primo pro quolibet fratre conventuali defuncto, etiam si abbas fuerit, ipso die depositionis suae, si comode fieri poterit, totum officium defunctorum habeatur, scilicet vesperae et vigiliae novem lectionum cum laudibus Invitatorio, responsoriis et cantico Benedictus cum antiphona ad minus semper decantatis. Similiter et missa defunctorum suo tempore decantetur. Et si quid ex his eodem die conventu aliter haberi non possit, postea quantocius suppleatur. Pro pluribus autem noviter defunctis quantum ad iam dicta fiat sicut pro uno cum collecta in plurali. Et in casu, quo circa dilationem aliquid dubium seu difficultas oriretur, Abbas vel Prior ex commissione ipsius cum patribus quibusdam et fratribus deliberent, quid sit faciendum, ita tamen, quod defuncti non negligantur nec plures quam duae missae uno die cantentur, item ut unus tricenarius missarum continuatim per fratres ordinarie compleatur, quae missae de officio mortuorum in altari summo et in ornatu nigri coloris sub prima sunt dicendae, nisi festum duplex intervenerit; tunc enim de festo potest dici missa cum collecta pro noviter defuncto. Pro pluribus vero defunctis infra eundem tricenarium concurrentibus sufficiat unica missa cum collecta in plurali, ita tamen, quod pro singulis eorum primus, septimus et tricesimus in speciali conventualiter peragantur. Item sacerdos ordinarie missam iam tactam de tricenario legens eodem die vigiliis trium lectionum pro anima eiusdem defuncti dicat.

Item septimus et tricesimus dies defuncti agantur per conventum cum vigiliis trium lectionum et missa cantata, nisi eodem die festum XII lectionum occurrat aut alias duae missae sint cantandae; tunc enim, ut permittitur, agenda anticipentur vel postponantur, sicuti videbitur expedire. Item singulis diebus a die depositionis usque ad tricesimum excepto primo, septimo et tricesimo] f. 38 r. [circa sepulturam fratris defuncti cum luminibus duobus thuribulo et aqua benedicta per conventum ante ingressum completorii vesperae mortuorum cum collecta competenti dicantur, nisi eodem die officium pro defunctis in choro haberetur; tunc collecta prima in Placebo eodem habeatur et tunc non erit necesse eiusdem sepulchrum cum Placebo specialiter visitare. Quod si defunctus frater extra monasterium sepultus fuerit, nichilominus per tricesimum Placebo pro eodem conventualiter habeatur cum luminaribus in altari accensis. Item fratres conversi pro praedictis omnibus dicant centum Pater noster et totidem Ave Maria. Item per continuum tricenarium lampas consueta circa sepulturam fratrum die noctuque ardens teneatur. Item ut obitus fratris defuncti infra septimum ad monasteria vicina nostrae fraternitatis et ad remote distantia infra aut post tricesimum quantocius denuntietur etc.

Quid agatur pro fratribus conventualibus per singulos in privato.

Pro fratre noviter defuncto singuli sacerdotes missas legentes infra tricesimum aut post, quantocius fieri poterit, dicant decem missas, quarum tres sint de officio mortuorum, aliae vero sicut voluerint, collecta tamen competente pro anima ipsius defuncti superaddita missaque cum sacrificio pro eodem ordinata. Clerici vero non legentes missas decies officium defunctorum totum et fratres conversi totiens quinquaginta Pater noster et totiens Ave Maria infra aut post tricesimum quantocius persolvant. Si vero noviter defunctus fuerit Abbas, iam immediate dicta omnia duplicentur. Considerandum sane, quod si aliquis Abbas, Prior aut alius forte frater conventualis in temporalibus vel spiritualibus excellenter profuisset monasterio, poterit conventus iuxta dispositionem superiorum aliquid superaddere praedictis etc.

Pro fratribus religiosis quid agatur.

Pro confratre religioso vesperae mortuorum cum vigiliis trium lectionum et laudibus et responsorii decantatis et cum paramentis funeralibus ac missa defunctorum cum ministris et eisdem paramentis ac pulsibus solitis peragantur, pro quibus fratres conversi 50^a pater noster et totidem Ave Maria dicunt. Item singuli sacerdotes missas legentes singulas missas de officio defunctorum vel ad quas magis inclinantur cum collectis pro defunctis missisque

pro ipsorum salute deputatis persolvant. Clerici vero non legentes missas officium defunctorum totum semel dicant. Et nota, quod immediate praemissa pro illis confratribus agenda sunt, quae eadem aut aequalia iuxta literarum tenorem pro defuntis nostris persolvunt. Considerandum etiam, quod si quando simul denuntiantur plures fratres defuncti unius et eiusdem monasterii, quantum ad omnia pro eisdem agenda in communi vel in privato coniungantur et fiat pro eisdem simul sicut pro uno cum collecta in plurali. Et si de diversis monasteriis fratrum obitus fuerint simul denuntiati, pro singulorum monasteriorum fratribus conventualiter et in privato agatur singillatim ut verbi gratia, si de uno monasterio denuntiat unus vel etiam plures simul et de alio monasterio similiter unus vel plures simul tunc peractis] f. 38 v. [exequiis conventualiter pro quolibet monasteriorum fratre vel fratribus quilibet sacerdos legat duas missas, clericus bis officium defunctorum et de aliis denuntiati, ut eis celerius conveniatur, conventui quantocius commode fieri poterit denuntientur.

Pro confratribus et sororibus non religiosis,
quid in speciali agendum sit.

Pro confratre vero vel sorore non religiosis, dum talium alicuius obitus fuerit denuntiatus, praeter ea, quae in communi quotidie pro huiusmodi aguntur, sacerdos legens missam pro fraternitate pro tali defuncto collectam primam imponat. Idem fiat pro pluribus simul denuntiatis. Quod si aliquis talium bona sua in vita aut in morte monasterio obtulerit aut alias beneficis aut proficiis multum fuerit, studeat istud conventus secundum Abbatem et seniorum arbitrium suffragiis specialibus recognoscere.

Quid pro eisdem agatur in generali.

Pro salute animarum fratrum et sororum benefactorum ac recommendatorum nostrae congregationis et omnium fidelium defunctorum, quorum quotidie in officio capitulari et in missa fundatorum memoria fit cum collecta Deus veniae una cum officio defunctorum, quod iuxta rubricam praescriptam generaliter peragitur etc., singulis quatuor anni temporibus anniversarium sollempne cum vesperis, vigiliis novem lectionum cantatis responsoriis, nisi pro tempore et ex causa praesidens aliter ordinaverit, et missa cantanda persolvatur.

De missa cottidiana fundatorum, quomodo sit habenda.

Quotidiana vero missa pro fundatoribus de officio mortuorum semper dicatur exceptis XII lectionum festis et octavarum sollempnium, diebus infra scriptis scilicet: Nativitatis Christi, Paschae Penthecosten, Corporis Christi, assumptionis et Nativitatis virginis.

gloriosae et quando Communicantes speciales habentur, sicut infra octavas Epiphaniae et Ascensionis domini, item feria tertia et quarta ebdomadae maioris, in quibus omnibus sufficit imponere collectam Propitiare, quaesumus Domine. In eadem missa quotidiana pro fundatoribus tres collectae ad minus habeantur, prima pro fundatoribus Propitiare, quaesumus, secunda Deus veniae, tertia Fidelium Deus. Idem numerus collectarum servatur, quando in conventu certis temporibus cantatur missa pro defunctis. Item in anniversario simplici trium lectionum aut quando memoria simplex alicuius de fraternitate defuncti agitur, prima collecta erit de anniversario aut pro anima defuncti, secunda Deus veniae, tertia Fidelium Deus etc.

De anniversario memoria defunctorum congregationis nostrae.

Item pro omnibus et singulis huius congregationis fratribus professis defunctis anniversarium peragitur semper die apto post octavam apostolorum Petri et Pauli cum Placebo et vigiliis novem lectionum responsoriis cantatis, vel lectis et cum missa cantata de Requiem, ad minus tamen nonum Responsorium cantetur.

De anniversario fundatorum.

Item die apto post diem obitus Haczigae, fundatricis primae monasterii, qui fuit in die Petri ad vincula, peragatur anniversarium ipsius omnium fundatorum huius monasterii cum Placebo et vigiliis novem lectionum responsoriis et lectionibus cantatis cum cantico Benedictus in laudibus. Etiam cantatur missa in summo altari per priorem, paramentis funeralibus ad ipsius sepulchrum adhibitis.

De anniversario progenitorum nostrorum parentum et consanguineorum.] f. 39 r. [

Insuper notandum, quod nostris progenitoribus, parentibus et consanguineis ceteris, quos omnes, vivos et defunctos Anno Domini MCCCCLII. de unanimi consensu in nostram communem recepimus fraternitatem, bona omnia, quae per nos aut per nostros successores die noctuque deus operari dignabitur, eisdem generaliter communicando, diem anniversarium in speciali peragimus apto die post festum omnium sanctorum cum Placebo et vigiliis novem lectionum, responsorio nono et missa de Requiem cantatis, nisi ex causa per praesidentem aliter ordinatum fuerit. Collecta autem Deus indulgentiarum sola habetur. De aliis vero anniversariis fundatis habetur in locis suis etc.

Avisamenta quaedam generalia circa horas canonicas.

Singulis horis canonicis, ut ab initio patuit, praemittimus Pater noster exceptis laudibus in XII lectionibus, quae statim dicta collecta post evangelium incipiuntur. Singulas horas canonicas concludimus cum *W*. Et fidelium animae, Pater noster, et in fine cum antiphona de beata virgine et collecta competente, cui addimus *W*. Et famulos tuos, exceptis vigiliis nocturnis in XII lectionibus et quando post missam conventualem immediate dicimus sextam vel nonam; tunc enim horam praecedentem missam non concludimus dicto modo, sed ea finita statim incipitur missa. De numero absolutionum et benedictionum ad lectiones in matutino, quas uniformiter servamus in breviario patet. Lector petendo benedictionem dicit Iube domine benedicere, et in fine Tu autem domine miserere nobis. Symbolum Athanasii, scilicet Quicumque, habemus per totum annum in dominicis dumtaxat. Versus ad primam dicimus sic: Exurge Christe adiuva nos. Et libera nos propter nomen tuum. Preces ad primam et completorium secundum rubricam suam habemus per totum annum praeterquam in festis duplicibus et infra octavas sollempnes, non habentur etiam a vigilia Nativitatis domini usque ad octavam Epiphaniae, et a Coena Domini usque ad sabbatum infra octavas paschae inclusive, similiter ab ascensione domini usque per octavas penthecostis. In quadragesimae autem feriis ad omnes horas habentur preces longiores secundum rubricam suam praeterquam ad nocturnos, post quos habentur septem psalmi. Ad primam, similiter ad Completorium per totum annum unam habemus collectam, quae numquam mutatur. Ad reliquas autem horas singulas secundum exigentiam similiter semper habetur una collecta praeterquam in quadragesima, ubi specialis collecta ad vespas habetur et infra adventum certis diebus. In festis duplicibus, similiter infra octavas ad vespas psalmos semper habemus de festo pertinentes. In semiduplicibus autem et simplicibus XII lectionum psalmi ad vespas habentur de feria occurrente, nisi de festo alio antea agatur. In tribus lectionibus a capitulo incipitur de festo et agitur de eodem usque ad nonam sequentis diei inclusive. Ad nocturnos autem in eisdem psalmi cum antiphonis habentur de feria, reliqua de festo. In omnibus festis XII lectionum et infra octavas et in tribus lectionibus psalmi ad laudes Dominus regnavit et reliqui cum quinque antiphonis habentur. Quae etiam habentur ad horas quarta excepta, nisi speciales assignentur. De his [f. 39 v.] habetur clarius in breviario circa rubricam generalem; quae hoc in loco praesupponitur. In festis capitulum ad vespas dicitur etiam ad laudes et ad tertiam et in secundis vespas, nisi proprium assignetur, capitulum ad sextam in festis habetur etiam ad nocturnos. Similiter capitulum ad nonam dicitur ad absolutionem in capitulo, nisi

proprium assignetur. In festis versiculus ad primum nocturnum dicitur etiam ad vespervas et ad tertiam, versiculus secundi nocturni habetur ad sextam et pro responsorio brevi in laudibus, versiculus tertii nocturni habetur ad nonam. Et pro responsorio brevi in secundis vespervis versiculus in laudibus habetur etiam in secundis vespervis, nisi in praemissis specialiter exceptio fiat. In secundis vespervis festorum XII lectionum psalmi semper de festo habentur. Item in psalmo Confitemini quartae feriae ad vespervas addimus per singulos versus clausulam Quoniam in aeternum misericordia eius.

(Continuatio sequitur.)

Memoiren des Zisterzienserabts Johann Dressel von Ebrach aus den Jahren 1631—1635.

Von Franz Hüttner, Würzburg.

(Fortsetzung zu Heft I, 1905, S. 76—85.)

Dem Marschall Gustav Horn wird befohlen, zu inquiren, wie die Sach mit uns beyden beschaffen; beruffet alsobald zwey Doctores aus den Rath, die hören seine Meinung an, wie in folgender Relation mit mehreren zu vernehmen:

Dinstag nach Oculi horis pomeridianis¹⁾ 6. Martii Anno 1632 seynd wir beyde David Schmuck D. und Johann Herold D. in die Schöpfferische²⁾ Behausung nomine senatus abgeordnet worden, Herrn Feldmarschall Excellenz Begehren und Befelch zu vernehmen, und proponirten Ihro Gnaden Herr Feldmarschall in Beysein Herrn Commissarii Heusners, Herrn Obrist Truchsess, Herrn Obrist Hard, schwedischen Commendanten in Schweinfurt, Herrn Obrist Bullagers.

Nachdem vorkommen, was massen ein Persohn des Rathß und Burgermeister alhier (da fiehle Truchsess in die Red und sagte: der Lay, Ebrachischer Castner), der hätte bei sich einen Catholischen Prister (Truchsess, den Praelaten zu Ebrach) in geheim aus der Stadt führen wollen, sich auch unterstanden, hierzu einen Passzettel, so ihm hiesiger damahls gegenwärtiger Commendant [12] Herr Hard auf sein des Burgermeisters Weib und Kinder³⁾ ertheilet, bedienet, noch darüber den Weeg nicht nach den Closter, sondern wo andersthin (Herr Obrist interloquiret: nach Hassfurt den Feind zu) genohnen, worzu sein Excellenz Graff Tylli noch gegen Abend, wie alle Sachen dieses Orthß

¹⁾ pomeridianis, Nachmittags.

²⁾ Schöpfferische, jetzt Markt 30.

³⁾ Kinder. Darauf steht im Texte »Bitt«, ist aber ausgestrichen.